

† R. P. Sabas Bécue (1887-1950)

(Prov. Par.)



« Mirabilis Deus in omnibus viis suis »: haec profecto verba proferre decet de vita R.P. Bécue ac praesertim de morte.

Natus 5 Dec. 1887 in pago Le Douliou (Dulcis Locus Beatae Virginis), olim dioecesis Cameracensis (*Cambrai*), nunc Insulensis (*Lille*), ex parentibus modestis, sed honestate et fide conspicuis, prima communione reficitur die 19 Martii 1899, die igitur Sancti Ioseph quem per omnem vitam mira devotione et fiducia prosecuturus erat. Collegii ecclesiastici Estaires primum discipulus, dein inter Minoris Seminarii alumnos adscriptus, postremo, annos 19 fere natus, die 15 Sept. 1906 in novitiatu nostro Glimes admittitur, ac die 15 Octobris eiusdem anni habitu S. Alfonsi vestitur. Attamen, subeun-

dae rei militaris causa, non vota emisit nisi 9 Novembris 1910. Sacerdotio initiatus die 21 Sept. 1913, vix studia theologica absolvebat, cum incepit bellum, in quo ita maxima cum laude se gessit ut plura insignia honorum meritis sit, de quibus semper ipse tacebat.

Mense Martio 1919 iuvenatui Muscronensi destinatus est, ubi per annos septem Lectoris partes et Socii Directoris egit, iuvenistas docens, etsi aliquando nimis austere et severe, conscientiae necessitatem, orationis spiritum et laboris consuetudinem. Magno cum gaudio anno 1926 missionarius Andegavi (*Angers*) renuntiatus est, ac Bononiam ad Mare (*Boulogne-sur-Mer*) anno 1921 translatus, a die 2 Aprilis 1933 usque ad annum 1939 Rector fuit domus Dunikeranae (*Dunkerque*), ubi sic quamdam domus disposuit partem, ut recollectiones et exercitia spiritualia clausa non solum sacerdotibus, sed diversis Actionis Catholicae coetibus magno cum fructu tradi possent.

Ab anno 1939 domum Insulensem regere debuit; toto belli tempore ei praefuit, multis cum aerumnis, sine tamen ruina domus; ac, adiuvantibus cognatis suis, sat facile alere potuit suos subiectos, etsi laboribus apostolicis minus occupatos; sed, quam primum potuit, opus missionum restituit.

Hoc tamen tempore, nocte 28-29 Maii 1940, domus nostra Dunikerana funditus destruebatur cum omni supellectile, cum bibliotheca ac cum ornamentis ecclesiae (exceptis calicibus), ita ut ecclesiae parietes soli adhuc in usum verti possent. Anno 1945 igitur Dunikeranum denuo mittitur P. Bécue, cum mandato domum subitariam (*couvent provisoire*) ibidem aedificandi. Continuo ab eo curritur et collectae fiunt ac praedicationes, ita ut res ad felicem eventum sat cito duci potuerit. Ac, cum consilium valuisset domus novae secundum Regulam nostram Dunikeri construendae, magna cum laetitia et zelo rem aggressus est. Sic, non obstantibus multis et magnis difficultatibus, Redemptoristae, soli in hac urbe sacerdotes religiosi, ibi manent, ubi iam per annos fere centum sedem suam constituerant. Cum constantia omni laude digna, ac post permultas repulsas, ita ut, testante P. Provinciali, « nomen meritis sit alterius fundatoris domus Dunikeranae », Pater Bécue effecit ut ab auctoritate civili tum construendi licentiam, tum prima subsidia quibus opus incipi posset obtineret. Si quando res nimis differebatur aut moram aliquam patiebatur, Pater Bécue Sanctum Joseph (domus nostrae Patronum caelestem) tum ipse rogabat tum ab aliis rogari satagebat, ac deinde res felicem exitum habebat.

Die 16 Iulii 1950 Muscronii (quo convenerat ut iubilaeo professionis plurium confratrum interesset) quibusdam declaravit: « Nunc sane validus sum; scio equidem me inopinato ac subito mori posse: sed ad omnia paratus sum ». Pluribus iam annis Pater Bécue sat corde laborabat ac

praesertim « diabète », ita ut iam semel et iterum omnem laborem intermittere debuisset. Die vero 27 Iulii ab auctoritate civili certior factus est se subsidia maiora percepturum, quibus deficientibus, opus constructionis cessare debuisset.

Postquam, maxime hilaris, architectum et operis magistrum participes huius nuntii fecit, circa 16am horam in cubiculum se recepit. Post unam horam cor subito defecit, ac Pater Bécue mortuus est cum ultima benedictione. Numquid cum vetere Simeone suum « Nunc dimittis » dixerat?

Nunc autem opus inceptum ita progressum erat ut nè quidem mors eius, etsi subita, illud impedire posset. Quo de opere postea fuse Deo volente in « Analectis » sermo fiet, cum anno 1953 celebrabitur Centenarium domus Dunikercanae.